



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. II. De vocandis Capitularibus ad electionem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

fuit, non potest iterum eligi (nondum plenè curatus, aut emendatus, aut dispensatus) nec ad eandem, nec ad aliam Prælaturam; si verò electio, aut nulla fuit, aut cassata fuit, non ob vitium Personæ, sed ob aliam quamcumque causam, ob modum v. g. seu formam non servatam &c. tum iterum eligi potest ad eandem Prælaturam, prout habetur in *c. super eo 12. h. t.* excepto casu Simonie, de quo infra.

5. Ineligibilis etiam est ad Prælaturam, qui plura beneficia incompatibilia, electionis tempore, absque dispensatione pontificia, simul retinet *c. dudum 54. h. t.* ita ut ejus electio ipso jure sit irrita, tanquam indigni, & vitæ ac moribus improbi; quod etiam de jure novo juxta *extravagantem. Execrabilis Joan. 22. de prabend. verum est.*

§. VI.

An in Episcopum vel Prælatum eligi possit Extraneus, qui non est à Corpore, seu Collegio Ecclesie.

Resp. Conveniens quidem esse, ut unus è gremio sive Capitulo Ecclesie eligatur, si idoneus adsit, ita ut non possit invitis Canonicis extraneus obrudi, cum Ecclesie necessitatibus meliùs provisum videatur, si unus ex illius gremio eligatur, cui suæ Ecclesie necessitates magis cognitæ sunt, absolute tamen hoc necesse non est, cum possint Canonici favori pro se introducto cedere, ut ait Pontifex in *c. cum nobis 19. h. t.*

SECTIO. III.

De preparatoriis ad Electionem, sive de illis, quæ ad illam præcedere debent.

§. I.

Quenam ante Electionem præmittenda, & observanda sunt?

Requiritur priusquam ad Electionem deveniatur, ut Ecclesia illa suo Præsule viduata sit, sive ut vacet, non tantum de facto, sed de jure *c. quia propter 42. h. t.* ita ut vivente Prælate, quamvis de vita illius jam conclamatum sit, nihil collegialiter tractare possint Capitulares, quod ad futuram electionem necessarium est, prout sumitur ex *c. bone 36. h. t.* & non tantum talis tractatus, ante mortem Episcopi factus ipso jure nullus sit, ob defectum potestatis in Capitularibus, sed etiam electio, vi talis tractatus ante mortem habiti, post mortem consequens, annullari, & cassari debeat, ceu facta contra juris dispositionem: & quamvis decens non sit, ut de electione successoris tractetur à Capitularibus collegialiter, ante sepulturam Prælati defuncti, juxta *relat. c. bona*, absolute tamen hoc fieri potest, cum Ecclesia absolute vacet, & si necessitas urgeat, licite etiam fieri potest.

§. II.

De vocandis Capitularibus ad Electionem.

Vocandi sunt, cum Electio fuerit celebranda, omnes absentes, ut compareant, & sint præsentés, sive ex communi

muni jure, sive ex speciali privilegio, sive ex consuetudine, aut alio titulo jus eligendi habeant, *c. quia propter 42. b. t.* nisi notoriè impediti aut prohibiti sint, & sic ab eligendo excludantur; sicuti enim non excludi debet, qui jus habet ad eligendum, sic frustra vocaretur, qui notoriè impeditus, aut prohibitus est; & hinc vocari non debent, qui vel ob defectum ordinis, vel ob defectum ætatis eligere non possunt *c. ex eo 32. b. t. in 6.* neque etiam vocari debent, qui ob delictum privati sunt jure eligendi, vel qui notoriè excommunicatione majore ligati sunt, vel suspensi, vel interdicti, vel irregulares, aut ex alio capite ad eligendum inhabiles; neque denique vocari debent, qui ita à loco electionis faciendæ absunt, ut sine periculo vocari, expectari, aut venire non possint *c. sicut 28. juncta Gloss V. sine pericula h. t.* aut ita remotè distant, ut intra tempus à jure præfixum, aut legitime juxta loci consuetudinem præfigendum, commodè accedere non possint, *c. cum inter 18. b. t.* aut nescitur, ubi morentur: rectissimè tamen circa hanc absentium vocationem, Ecclesiæ illius, de cujus Prælato eligendo agitur, consuetudo attenditur, cum ipsa etiam jura diversimodè de his vocandis loquantur, attendendo scil. diversarum Ecclesiarum diversas consuetudines, & concedant etiam ob Ecclesiæ necessitatem, aut utilitatem, tempus à jure definitum ad electionem faciendam, prorogari *argu. c. ne pro defectu 41. h. t.* ita ut Capitulares præsentis, qui longius absentes vocaverunt, præfigendo illis terminum, intra quem adesse debeant, non possint illis

absentibus procedere ad electionem, ante terminum præfixum elapsum, si sine præjudicio Ecclesiæ hoc fieri possit. Nullus tamen, quamvis vocatus sit, tenetur electioni adesse, cum quilibet favori pro se introducto cedere possit, & quamvis aliqui cæpto jam de electione tractatu, sine causâ discedant, valebit tamen electio à præsentibus facta, illis etiam non revocatis, cum semel illos vocatos fuisse sufficiat, & per talem sine causa fictum discessum juri suo tenuitatis videantur, *c. cum nobis 19. b. t.* nisi aliud circa hæc statuta talis Ecclesiæ consuetudo, aut illius necessitas jubeat.

§. III.

De electoribus contemptis, seu non vocatis ad electionem.

Contempti censentur illi electores, qui, cum vocari potuissent, & debuissent, vocati tamen ad electionem non sunt, vel certè tam tempestivè vocati non sunt, ut commodè ad electionem venire potuerint; & quamvis aliqui putent, etiam illos contemptos haberi debere, & posse, qui vocati quidem sunt, ut tractatui de statuendo electionis die inter sint, adesse tamen huic tractatui noluerunt, postmodum tamen statuto electionis die vocati ad electionem amplius non sunt, rectius tamen putant alij, hos de contemptu agere non posse, si diem electionis futuræ alitè resciverunt, vel absolute responderunt, nollesse, vel non posse huic electioni adesse, cum in hoc casu satis favori suo renuntiaverint, ut ait *Gloss. in c. Ecclesia 57. V. vocato h. t.* in priore verò casu, juxta *regulam*